

## ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO  
DECRETIS CONCILII VATICANI II  
INTERPRETANDIS

## RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum esse censuerunt ut infra ad singula:

## I.

*(De delegatione generali Diacono conferenda  
pro assistendo matrimonio)*

D. — Utrum Diaconus, qui alicui paroeciae stabiliter et legitime addictus est, aequiparari possit vicariis cooperantibus, pro paroecia cui sunt addicti, iuxta mentem can. 1096, § 1, ad delegationem generalem seu licentiam quod attinet assistendi matrimonio ad normam can. 1095, § 2.

R. — Affirmative.

## II.

*(De facultate Episcopi dispensandi a defectu aetatis  
ordinandos diaconos permanentes uxoratos)*

D. — Utrum facultas Episcopi dispensandi ordinandos a defectu aetatis non ultra annum, de qua in Litteris Apostolicis *De Episcoporum muneribus* diei 15 iunii 1966, IX, 6, valeat etiam pro ordinandis diaconis permanentibus uxoratis, de quibus in III, n. 12 Litterarum Apostolicarum *Sacrum Diaconatus ordinem*, diei 18 iunii 1967.

R. — Affirmative.

SS.mus Dominus Noster PAULUS Pp. VI in Audientia die 19 iulii 1970 infrascripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, adprobavit et publicari iussit.

PERICLES Card. FELICI, Praeses